



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Qualia Iudaei sub ipso perpetri sunt. Cap. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII HISTORIAE
quæ multorum criminum apud dominum esset insimulata: quam quidem euāgelium secundum Hebræos complebitur. Atque hæc inter alia, quæ recensuimus, comodè & opportunè obseruata sint & notata.

Finis tertij libri.

EVSEBII CO-
GNOMENTO PAMPHILI
EPISCOPI CAESAREAE PA-
lestinae, Ecclesiasticae historiæ
Liber quartus.

*Quinam Traiano imperante Romanorum & Alexan-
drinorum fuerunt episcopi.*

CAP. I.



Nnum circiter duodecimum impe-
rij Traiani, episcopus Ecclesiæ Ale-
xandrinae, cuius paulò ante feci me-
tionem, vitam cum morte commu-
tat: ac quidam nomine Primus, ab
apostolis successione quartus, mini-
sterium Ecclesiæ illius sortitò ca-
pit. Eodem tempore, ubi octo annos
Euaritus in Romanæ ecclesiæ procuratione obeunda
compleuisset, Alexander quintus, successione à Petro &
Paulo ducta, Pontificatum obtinet.

Qualia Iudei sub ipso perpeti sunt.

CAP. II.

Quemadmodum seuatoris nostri doctrina & ecclesiæ
status, magnopere iam tum florebat, & indies maiores
amplioresque faciebat progressiones: Sic Iudeorum
calamitas.

calamitates, malis alio post aliud importatis, magis magisque accrescebant. Nam cū iam imperator ad annum decimum octauum regni sui peruenisset, ingens Iudeorum multitudo, nouo tumultu de integro concitato, è medio sublata est. Si quidem non Alexandriæ solum, & in reliquis Aegypti partibus, verū apud Cyrenē etiā complures veluti crudeli aliquo & seditione spiritu exagitati, contra gentes, quae vna cum illis habitabant, seditionem conflare cœperunt. Atque seditione mirum in modum exardescente, sequente anno, (Lupo id temporis vniuersae Aegypti præfecturam gerente) bellum non exiguum illud quidem & lene mouerūt. Ac in prima diuinatione illi à gentibus victoriam fortè consecuti sunt, ac propterea Gentes Alexandriā propere cōfugientes, Iudeos, qui in ea ciuitate commorabantur, subito captos oppressosque interfecerunt. Iudei ergo, qui tum incolebant Cyrenem, Sociorum auxilio, qui Alexandriæ habitabant, penitus iam destituti, duce Lu-
cua Aegyptum depopulari, predas agere, agros illius vastare aggressi sunt. Aduersus quos, imperator Marcius Turbonem cū pedestribus, equestribus, & naualibus copiis misit. Hic multis preliis commissis, belloq; contra eos non exiguo tempore continuato, infinitas copias Iudeorum, non solum, qui à Cyrene, sed etiam qui ab Aegypto, ad auxiliū ipsorū duci Lucuæ ferenda se contulerāt, trucidavit. Imperator igitur admodū veritus, ne Iudei, qui erāt in Mesopotamia, in Gentes eam regionem incolentes, per insidias impetum facerent, Q. Lucio in mandatis dedit, ut illos è prouincia funditus tolleret deleretq;. Qui quidem facta illuc expeditio-
ne, immensam Iudeorum multitudinem, qui ibi domicilia rerum suarū collocauerāt, occidit. Cuius rei cauſa tam prospere gestæ, præfectus Iudeæ ab imperatore declaratus est. Ista etiam gentiles scriptores, qui illorum temporum res gestas literis mandarunt, eisdem ferè verbis posteris prodiderunt.

Qui regnante Adriano fidem propugnabant.

CAP. III.

Postquā viginti annos integros, sex mensibus minus;

¶

Traia-